GRATIA SALVATORIS!
ET
BENEVOLO INCLUTI PHILOSOPHORUM
SENATUS INDULTU

INSIGNIA QVATUOR EVANGELISTARUM,

IN ALMA PHILVREA
SUB PRÆSIDIO
VIRI
EXCELLENTISSIMI, PRÆCLARISSIMIQ;
DN. M. JACOBI THOMASII,
Eloqventiæ Prof. Publ. celeberrimi, Facultatis Philosophicæ Assessoris gravissimi, ut & Minoris Principum Collegii Collegiati longè dignissimi,
DOMINI, PATRONI ET PRÆCEPTORIS
cum observantiâ colendi
DISSERTATIONE HISTORICA
Placidæ & solemni Eruditorum disqvisitioni
Ad d. 30. Novembr. A. 1667.
Sistit
RESPONDENS
Gottfried SPROTTA, URATISL. SILES.
A. A. LL. & PHILOS. BACCALAUREUS
ET MAGISTERII CANDIDATUS.

LIPSIÆ
Typis JOHANNIS GEORGI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



GRATIA SALVATORIS!

§. 1.

EGregia ſanè, nec ſine exactâ & accuratâ rei ponderatione prætermittenda viſio illa eſt qvatuor animalium, (A.) Hominis (B.) nempe, Leonis, Bovis, (C.) & Aqvilæ, qvæ Ezechielis (D.) primùm, deinde in Apocalypſi (E.) qvoqve Johannis fuit uſurpata oculis.

(A.) Qvatuor Animalia, propter alas forſan, qvidam Eruditorum qvatuor Cherubim appellant. τεσσάρων χερουβὶμ *mentio apud Athanaſium fit, citante Pelargo Qqv. in Matth. p. 13. Cherubim bis binis vultibus vocat Tertullianus poem. p. 95. Cherubim qvadriformia Irenæus L. III. adverſ. Hæreſ. c. XI. fol. 186. fin. Cherubinos Ezechielis Cornelius Cornelii à Lapide Comment. in qvat. Evangel. Proœm. p. 10. D. a.*

(B.) Sunt qvi Angelum vocant. Nimirum omnia iſta qvatuor animalia ſunt alata. Minimè autem homo opponendus Angelo, uti qvidem cenſet Nobiliſſimus Barthius LXI. Adverſ. fol. 554. diſcrepareq; ſtatuit vulgarem Picturam, qvæ Matthæo Angelum appingit ab illa, qvæ pro Angelo ipſi dat Hominem. Homo enim Alatus Angelus. (C.) Bovem Ezechielis, vitulum Johannes vocat in Apocalypſi juxta vulgatam. (D.) Ezechielis 1, v. 10. (E.) Apocalypſ. 4, v. 7.

§. 2. Num hæc animalia in utroq; Scripturæ Sacræ loco idem ſignificent, non eſt noſtrum expedire, ſed meritò decidendum hoc negotium relinqvimus Cathedræ Theologorum.

§. 3. Controverſiæ huic & illam adjungimus examinandam, qvænam ſit veriſſima hujus viſionis ſignificatio & explicatio. (F.)

(F.) Interim, ſi placet, poterit evolvi Fridlib. Obſerv. in Apoc. p. 358 qv. 28. Oſiander in Bibliis ad Ezech. & Apocal. Tremellius & Junius Schol. in Ezech. p. 170. qvi duo de qvatuor proprietatibus explicant Angelorũ, qvi adeò definiri inde poſſint hoc modo: Spiritus eſſe intelligentes ut homo, potentes ut leo, miniſtratorios ut bos, & celeres ut Aqvila. Adde

Prücknerum in Vindiciis ad utrumq; locum: ut & Gamalielem nostrum Venerandissimum Dominum D. Kromayerum Commentar. in Apocal. p. 103. & 105.

§. 4. Sunt verò valde variæ illius expositiones & tot ferè reperiuntur, qvot Commentatores, qvi vel sacram Ezechielis Prophetiam, vel venerandam Johannis Apocalypsin Scholiis illustrarunt, vel alias in Materiam hanc inciderunt, adeò, ut operosum nimis videatur negotium, omnes, in qvas visio ista tracta est, allegorias commemorare. (G.)

(G.) *Sufficiant intereà paucula qvædam sententiæ, qvas hic præterire noluimus. Raph. Eglin. de Helia Artist. Cap. 2. ad qvatuor Ecclesiæ tempora accommodat. Justinus Martyr qv. 44. Tom. III. oper. fol. 84. ad Nebucadnezarem, cujus ungves creverunt sicut Aqvilæ, & capilli ut jubæ Leonis, qvi ad instar vituli herbam depastus est, & cor hominis datum est ei. Archangelus de Burgonovo in Cabbalist. p. 768. ad qvatuor Elementa applicat; sicuti Chassanæus in Tract. de Gloria Mundi Part. III. Consol. 35. p. 152. Evangelistas ad qvatuor Elementa applicat, uti videre est ap. eund. Alii ad qvatuor præcipuas virtutes Apostolis & aliis Evangelii prædicatoribus concessas. Vide* Frey Biblisch Thierbuch. *p. 143. Qvidam Mundi ætatem qvatuor annorum millibus definiverunt, ob qvatuor animalia Ezechielis. Vide Gassendum Tom. I. fol. 177. Adhuc aliter Proclianitæ apud Philastrum p. 46. adde Petrejum de hæret. p. 186. Prateolum p. 702. R. Eliezer per animalia qvatuor Principes superiores præpositos qvatuor Regnis, videlicet Principem Monarchiæ Babylonicæ, Persicæ, Græcæ & Romanæ intelligit, ut facies Leonina designaverit Babel, juxta Jer. 4, v. 7. ascendit Leo de Cubili suo. Facies humana Reges Mediæ & Persiæ, qvia illi clementer & humaniter tractaverint Israelitas sibi subditos, qvi illis Facultatem dederint revertendi in Patriam, exstruendi templum &c. Facies Taurina Alexandrum Macedonem, qvi Cornu feriit alios Reges. Facies Aqvilina Imperium Romanum, qvia omnes Imperatores Romani in suis vexillis Imaginem Aqvilæ gerunt. Vid. Gvilelm. Henr. Vorstius animadv. in Pirke seu capitulo R. Eliezer p. 154. edit. Lugd. 1644. & Antonin. Part. I. sum. Tit. 6. §. 19. varias etiam allegorias habet Stegmannus Christognos. p. 894. adde & Nicolaum de Lyra exposit. in Ezech. & Lit. Q Q.*

§. 5.

§. 5. Tantâ qvoq; difficultate pollere visio hæc visa fuit veteribus, ut antiqvissimi Ebræorum in libro qvodam apud eos avthentico expressè expositionem ejusdem esse secretissimam determinarint (H.)

(H.) *Antiqvissimi Ebræorum inqvit Nicol. de Lyra, addit. 1. in c. 1. Ezechiel. Sive Thalmudici, in qvodam libro avthentico apud eos, qvi dicitur Haguiga, expressè determinant, qvod intelligentia hujus visionis Ezechielis debet esse secretissima, sic, qvod non licebat alieno eam scienti alios de ipsâ docere, nisi tantùm unum, & hoc in magno secreto non exprimendo totam intelligentiam &c.*

§. 6. Nos omissis & relictis aliis illam tantùm curatius paulò in præsentiarum considerabimus sententiam, qvæ qvatuor Evangelistis qvatuor illa animalia applicat, & illorum ea Insignia esse, eleganter statuit.

§. 7. Et ita qvidem hunc laborem suscipiemus, ut non falcem in alienam immittentes messem, verbi divini & Scripturæ Sacræ Secreta interpretemur, sed historiam tantùm accommodationis hujus recitemus.

§. 8. Fuit autem hæc de qvatuor Evangelistis expositio ferè totius Ecclesiæ Primitivæ communis. *Qvi enim ante nos*, inqvit Augustinus (I.) *Scripturarum Sacrarum mysteria tractaverunt, pleriq; in his animalibus qvatuor Evangelistas intellexerunt.*

(I.) *Tractatu 36. Johan. Tom. IX. oper. fol. 279.*

§. 9. Enimverò sunt qvatuor Evangelistæ *Sancta qvædam qvasi Domini qvadriga*, ut alicubi eos idem vocat Augustinus (K.) qvibus per orbem tanqvàm curru triumfali vectus subegit populos, & odorem cognitionis suæ sparsit.

(K.) *L. 1. de Consens. Evangel. c. 7. Tom. IV. oper. fol. 375. ubi & capite 2. f. 372. rationem reddit qvandam numeri qvaternarii his verbis: & benè qvatuor, qvoniam sunt qvatuor partes orbis terræ. Circa hoc tamen aliam rationem suppeditat Origenes ap. Gerhardum Tom. I. Harmon. qvat. Evangel. c. 8. à Paradisi fluminibus desumtam. Prætereà qvadrigam etiam vocat Hieronymus Tom. V. fol. 177.*

§. 10. Cæterùm in isto consensu est nihilominùs haut parùm discordiæ, cum sigillatim qværitur, qvodnam animal cui Evangelistæ comparandum sit? Qvâ qvidem in re tres numerare possumus senten-

tias. Sed eas anteqvam videamus, præmonenda qvædam sunt de duplici ordine tùm animalium Biblicorum, tùm Evangelistarum.

§. 11. Etenim animalium duplex ordo conspiciendus; alius apud Ezechielem; alius apud Johannem reperitur in Apocalypsi. (L.) Apud Ezechielem, Homo primum, Leo secundum, Bos tertium, qvartum Aqvila obtinet locum. Aliter Apocalypsis, Leoni primam, Bovi secundam, Homini tertiam, Aqvilæ ultimam attribuit sedem.

(L.) Cur alius, causam reddere vult Glossa ordinaria ad c.5. Apocalyps. qvam citabimus infra. §.27. lit. i.

§. 12. Nec minùs ipsorum Evangelistarum, qvorum insignia statuuntur, ordo diversus est, alter scribendi nempe, alter cognoscendi, ut distingvit Augustinus. (M.) Scribendi talis: Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes: Cognoscendi autem iste est: Johannes, Matthæus, Marcus, Lucas.

(M.) L.I. de consens. Evangel. C.II. Tom. IV. Operum fol. 372. B. C. qvatuor Evangelistæ --- hoc ordine scripsisse perhibentur, primùm Matthæus, deinde Marcus, tertiò Lucas, ultimò Johannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi atq; prædicandi, alius autem scribendi. Confer. Aurel. Epit. Annal. Baron. p.37.

§. 13. Scribendi ordo ad tempus refertur, qvo qvisq; instinctu Numinis Supremi in emolumentum & crementum omnium, qvot Sol unqvam videbit, scripsisse Evangelium existimatur: Cognoscendi ad tempus, qvo qvisq; divinâ vocatione ad SacroSanctum prædicandi munus fuit assumptus.

§. 14. Ordinem scribendi posuimus talem, qvalis in Codicibus Biblicis receptus hodiè, & communiter apud Auctores servatur & observatur, qvandò nomina Evangelistarum recensent, (N.) nisi qvod interdum Marco præpositum Lucam (O.) reperire liceat. Qvod nescio an inde factum sit dicendum, qvia non satis cognitum sit atq; perspectum, uter alterum scribendo anteverterit. (P.) Nam, si qvi præterea alium adhuc ordinem seqvuntur, ut Victorinus alicubi, (Q.) & Ambrosius (R.) de iis cur ita fecerint, alia ratio reddi potest: simulq; ostendi, eos non voluisse ordini præjudicare recepto. (S.)

(N.) Hoc videlicet ordine (MATTHÆUS, MARCUS, LUCAS, JOHANNES) leguntur apud Augustinum Tom. IV. fol. 374. D. Hierony-

Hieronymum Tom. V. fol.177. E. Tom. IX. fol. 5. & Catalog. Scriptor. Ecclesiastic. fol.6. edit. Miræi. Athanasium ap. Pelarg. Qq. in Matthæum p.13.

(O.) *Id pluribus ostendetur infra ad §.38. lit. a.m.*

(P.) *Hoc ordine, (MATTHÆUS, LUCAS, MARCUS, JOHANNES) leguntur apud Hieron. Tom. III. f.16. & in ipso Catalog. f.5.*

(Q) *Comment. in Apocal. ubi sic ordinat, MARCUS, MATTHÆUS, LUCAS, JOHANNES. Sed Marcum ideò videtur præposuisse, qvia in loco Apocalypseos prima Leonis mentio, qvem Marci Symbolum & Insigne facit. Non autem in animo fuisse Victorino, ut receptum ordinem mutaret, inde colligas: qvia & mox Matthæum Lucæ anteponit, contra qvam factum oportebat, si Apocalyptica Symbola seqvi constanter voluisset.*

(R.) *Tom. V. fol. 5. qvo in loco sic ordinat: JOHANNES, MATTHÆUS, MARCUS, LUCAS. Putes qvidem voluisse eum hîc seqvi ordinem cognoscendi Evangelii: Apostolum itaq; statim Apostolo junxisse & Johannem præposuisse, qvi primus esset vocatus (vide mox lit. u.) sed magis opinor inserviisse eum præcedentibus, ubi tres fecerat sapientiæ partes Naturalem, Moralem, Rationalem. Hic enim ordo est, ad qvem mox & Evangelistas revocat, ultimum locum Lucæ reservans, qvod eum vellet in omnibus Sapientiæ partibus præstitisse. Verba ejus Tom. IV. Oper. f.5. Præfat. in Lucam hæc sunt: Est enim verè sapientia Naturalis in Libro Evangelii, qvi scribitur secundùm Johannem. --- Qvis autem moraliùs secundùm Hominem singula persecutus, qvàm Sanctus Matthæus, qvi edidit nobis præcepta vivendi? qvid rationabilius illo admirabili copulatu, qvàm qvod Sanctus Marcus statim in principio locandum putavit: Ecce mitto Angelum meum. --- At verò Sanctus Lucas --- plura nobis gestorum Domini miracula revelavit, ita tamen, ut omnes sapientiæ virtutes Evangelii istius complecteretur Historia. Qvid enim præcellentius ad Sapientiam Naturalem, qvàm qvod Spiritum Sanctum Creatorem etiam Dominicæ Incarnationis extitisse reservavit? --- docet Moralia in eodem Libro, docet etiam Rationabilia. Certè qvod turbare consvetum ordinem noluerit ex f.6. Tom. V. apud Eum conjicias, ubi eum ipsum consvetum ordinem observat, licet tacitis Evangelistarum nominibus.*

(S) Hau-

(S.) Haurire hoc qvivis poteſt ex Lit. Antecedentibus. E. R. de Utroq;.

§. 15. In cognoſcendi Evangelii ordine certum eſt, præcedere debere Johannem & Matthæum, fuerunt enim Apoſtoli: ſeqvi Marcum & Lucam, ſive diſcipulos eos faciamus Apoſtolorum ſive duos ex ſeptuaginta. (T.)

(T.) Tria hâc occaſione qværi poſſunt (1.) num fuerint diſcipuli Apoſtolorum? Nam Theophylactus (teſte Fabricio. p.50. in Poet. Chriſtian.) Vtrumq; ex LXX. fuiſſe memorat. Sed pro priore ſententiâ major eſt Auctorum copia, qvos mox citabimus. Favet etiam ex ſacris illud Lucæ c.1. v.2. provocantis ad traditionem eorum ſibi factam, qvi ab initio ipſi viderint, & miniſtri fuerint Sermonis Chriſti. (2.) Cujus Diſcipulus qvisq; fuerit? Hieronymus Prooem. in Matth. Tom.IX. Oper.f.5. Marcum vocat interpretem Apoſtoli Petri, Lucam Diſcipulũ Apoſtoli Pauli. Confer Fabric.d.l. Et hùc fortè trahas etiam Auguſtini verba L.I. de Conſenſ. Evangel. cap.1. Tom.IV. Oper.f.371. ſic eos περιφερόζοντος: qvi primos Apoſtolos ſeqvebantur: Primi enim Apoſtoli Petrus & Paulus. Verùm magis eſt, ut nihil definiri hic ab Auguſtino dicamus, ſed in genere tantũm innui, fuiſſe eos Apoſtolorum ipſos antecedentium, & ita primorum, diſcipulos. Generalis qvoq; apertè locutio eſt in illis, qvæ apud Auguſtinum paulò antecedunt, item ſeqvuntur c.2. lit. C. Qværendum etiam an conſvetum ſit Auguſtino Petrum & Paulum primos Apoſtolorum vocare. Cæterùm an præcisè Pauli tanqvàm ſolius fuerit diſcipulus Lucas dubitantem vide Barthium. L.XII. Adverſar. c.XII.f.533. ex loco modò adducto Luc.1.v.2. qvem Hieronymus (ſed qvaſi de ſententiâ aliorum) allegat fol 5. in Catal. ſcript. Eccleſ. (3.) Cur voluerit Deus non à meris Apoſtolis ſcribi Evangelia? Reſpondet Auguſtinus, ubi modo fol.371. D. ne putaretur, inqvit, qvod attinet ad percipiendum & prædicandum Evangelium, intereſſe aliqvid, utrùm illi annunciant, qvi eundem Dominum hìc in carne apparentem diſcipulatu famulante ſecuti ſunt, an qvi ex illis fideliter comperta crediderunt.

§. 16. Certitudine qvoq; non caret ſuâ Matthæo anteponendum eſſe hoc in ordine Johannem. Fuit enim prior vocatus ad Apoſtolatum Johannes (U.) An autem in hoc vocationis ordine Lucas

qvoq;

qvoq; Marco anteponi debeat, an secus, exploratum non habemus. In re incertâ interim dedimus eis locos eos, qvos consensu publico in ordine scribendi eos obtinere, cernere licet.

(V.) Johannes enim vocatus Matth. 4. v. 21. 22. at Matthaeus demum c. 9. v. 9.

§. 17. Nunc observari velim, tametsi duplex Evangelistarum, uti ostensum est hactenus, constitui potest ordo, discendi unus, alter scribendi, vetustis tamen Patribus placuisse solùm eum seqvi ordinem, qvi fuit scribendi.

§. 18. His ita præmissis ipsa sententiarum divortia inspiciamus. Tres eas esse jam dictum est ante: PRIMA IRENÆI fuit, AUGUSTINI ALTERA, TERTIA HIERONYMI.

§. 19. Ab Hieronymo, qvoniam hujus expositio plebi etiam nostræ notissima est, incipere hic libet. Is Matthæo hominem, Marco Leonem, Lucæ, Bovem Johanni Aqvilam adjungit. (W.)

(W.) Hieronymus Tom. III. Oper. f. 16. L. I. adversus Jovianum. Tom. V. f. 77. Comm. in cap. 1. Ezechiel. Tom. IX. f. 5. Proœm. in Matth.

§. 20. Irenæus autem ita disserit, ut circa Matthæum qvidem & Lucam nulla ipsi intercedat cum Hieronymo dissensio, Marci tamen & Johannis animalia permutet, illiq; Aqvilam, huic Leonem Insigne constituat. (X.)

(X.) Irenaeus L. 3. advers. haeres. c. 11. f. m. 187. Evangelia his (sc. animalibus) consonantia, in qvibus insidet Dominus JESUS. Aliud enim illam, qvae est à Patre, principalem & efficabilem & gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM &c. Johan. 1. Id verò qvod est secundùm Lucam, qvoniam qvidem Sacerdotalis characteris est Zacharia Sacerdote sacrificante Deo incboavit. Jam enim saginatus parabatur vitulus, qvi pro inventione minoris filij inciperet mactari. Matthaeus verò eam qvae est secundùm Hominem generationem ejus enarrat: LIBER, dicens, GENERATIONIS JESU CHRISTI &c. Humanae formae igitur hoc Evangelium: Propter hoc per totum Evangelium humiliter sentiens, & mitis Homo separatus est. Marcus verò à Prophetico Spiritu ex alto adveniente, hominibus initium fecit: INITIUM, dicens, EVANGELII, QVEMADMODUM

 SCRI-

SCRIPTUM EST IN ESAIA PROPHETA, volatilem pennatum imaginem Evangelii monstrans, propter hoc & compendiosam, & præcurrentem annunciationem fecit.

§. 21. Alia Augustini mens. Hic illud mutat, qvod Matthæo Leonem, Marco Hominem assignet (Y.) circa Lucam autem & Johannem consentiat cum Hieronymo.

(Y.) *Vide August. Tom. IV. Oper. fol. 374. L. I. de consensu Evangel. c. 6. & Tom. IX. fol. 278. 279. Tract 36. in Johannem.*

§. 22. Patet hinc circa Lucam omnibus convenire (Z.) circa Marcum autem discrepantiam esse qvàm maximam (a.) circa Johannem & Matthæum mediocrem. (b.)

(Z.) *Omnes enim illi bovem assignant. Qvod ipsum ut promtius animo recurrat, cogita Lucas boves, qvi sunt Elephanti, de qvibus vid. Plin. L. VI. citante Camerar. Cent. I. horar. subcis. c. 25. p. m. 132. adde Cal. Rhodig. L. 13. Lect. Antiq. c. 18.*

(a.) *Marco enim Hieronymus tribuit Leonem, Augustinus Hominem, Irenæus Aqvilam.*

(b.) *Johanni enim Hieronymus & Augustinus tribuunt Aqvilam, solus Irenæus Leonem. Rursus Hieronymus & Irenæus Matthæo tribuunt Hominem, solus Augustinus Leonem.*

§. 23. Hoc ipsum cur fiat facilè licet colligere. Non enim unus idemq; Sanctæ huic Patrum Trigæ fons est, ex qvo promanarunt sententiæ ipsorum diversæ; sed Hieronymus Animalia Ezechielis, Irenæus verò & Augustinus Apocalypsin respexerunt; qvod verba ipsorum satis abundè comprobabunt.

§. 24. Porrò soli Hieronymo non ordo tantùm ipsorum Evangelistarum favet, sed & Principia Evangeliorum: Irenæo Principia qvidem Evangeliorum, non item ordo: Augustino certâ qvâdam ratione, (si nempè præsupponas, Lucam priorem scripsisse Marco) magis ordo qvàm Evangeliorum principia. (c.)

(c.) *Planius & clarius hoc fiet, si in Tabulâ qvâdam ocularis fides illud demonstret; hoc, vel simili modo qvoad ordinem nempè:*

Tabula

Tabula prior juxta ordinem Ezechielis.

Animalia juxta Ezechielem.	Comparatio I. Hieronymi.	II. Auguſtini.	III. Irenæi.
Homo.	Matthæus.	Marcus.	Matthæus.
Leo.	Marcus.	Matthæus.	Johannes.
Bos.	Lucas.	Lucas.	Lucas.
Aqvila.	Johannes.	Johannes.	Marcus.

Tabula poſterior juxta ordinem Apocalypſeos.

Animalia juxta Apocalypſin.	Comparatio I. Hieronymi.	II. Auguſtini.	III. Irenæi.
Leo.	Marcus.	Matthæus.	Johannes.
Bos.	Lucas.	Lucas.	Lucas.
Homo.	Matthæus.	Marcus.	Matthæus.
Aqvila.	Johannes.	Johannes.	Marcus.

§. 25. Primùm Hieronymum accedamus, qvippe qvi, pro ſententiâ ſuâ confirmandâ, rationes habet non paucas, nec, ut in hoc genere, leves aut futiles. (d.)

(d.) *Hieronymo autem dum ſubſcribimus, hoc volumus: ſi ad Evangeliſtas trahenda hæc viſio, magis placet Hieronymi mens, qvàm reliqvorum.*

§. 26. Hic ſolus (e.) exactè aptat ordinem Evangeliſtarum ordini animalium (f.) Matthæo enim, qvi primus ſcripſit Evangeliſtarum, & tanqvam Dux vexillum ſeqventibus prætulit primum animal Ezechielis dat; nempè Hominem, & ſic deinceps.

(e.) *Ad oculum hoc patet è tabulâ primâ lit. c. delineata. Poſſis tamen hinc etiam Auguſtini accommodationem adjuvare, ſi dicas,*

Lucam priorem Marco scripsisse, qvâ de re lit. P. Sic enim qvadrabit ea ad ordinem Apocalypseos, ut patet ex Tab. II.

(f.) putes etiam, hunc ipsum fuisse hujus comparationis vel Causam vel saltem occasionem.

§. 27. Atq; hoc respondendum est Lyræ, hanc Interpretationem refellere conanti; qvia facies hominis non primo sed tertio loco ponatur in Apocalypsi. (g.) Dicemus enim non ad ordinem Apocalypseos, sed Ezechielis respexisse, qvi sic comparaverunt. (h.) Nam qvod Lyræ est à Riberâ (i.) repositum frivolum dixerim.

(g.) De Lyra hæc refert Pareus in Apocalyps. p. 193.

(h.) V. Athanasium, ap. Pelarg. qvæst. in Matth. p. 13.

(i.) Ribera vulgatam opinionem defendens, argumento Lyræ, de non servato ordine respondet, qvod communis Expositio (qvæ disponit Evangelistas) servet ordinem scriptionis; Johannes ordinem rerum, qvo sint manifestatæ, qvia Johannes prius cœperit clamare in deserto: (unde Leonem, h. e. Marci insigne antepofuerit Apocalypsis, incboat autem Marcus Evangelium suum à Concione Johannis & dicto Esaiæ de voce clamante) qvàm Christus inciperet prædicare. Pareus ad Apocalyps. p. 194. qvi rectè addit: Sed hoc est abuti Lectoribus. Sanè enim valdè circumducta est hæc responsio, vixq; per longissimas ambages efficit, ut intelligi qveat; tantum abest ut sit negotio præsenti accommodata. Videtur Riberæ, cum ita scriberet, in memoriâ fuisse commentum glossæ ordinariæ ad Apocalyps. cap. 5. volentâ causam reddere, cur Ezechiel Hominem, Apocalypsis Leonem primo loco ponat? (observa obiter, tacitè præsupponi utrobiq; rem signatam esse eandem.) Verba autem Glossæ hæc sunt: Ezechiel qvicqvid futurum erat prævidit, prius Hominem posuit, post Leonem, qvia Christus (deesse videtur hîc in Nativitate Homo, vel qvid tale) in prædicatione Leo fuit, post vitulus, qvia sacrificatus fuit, tandem Aqvila, qvia adscendit in cælos. Johannes Impleta videns Leonem præponit, qvasi fundamentum totius fidei. (Fides enim ex auditu, auditio ex prædicatione.)

§. 28. Favent etiam Hieronymo Principia Evangeliorum (k.) Nam ut ejusdem verbis rem asseqvamur (l.) *Prima Hominis facies Matthæum signat, qvi qvasi de Homine exorsus est scribere: (m.) Liber generationis JESU CHRISTI Filij David, Filij Abraham. Secunda Marcum, in qva*

vox

vox Leonis in Eremo rugientis auditur: (n.) vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite Semitas ejus. Tertia Vituli, qvæ Evangelistam Lucam à Zachariâ Sacerdote (o.) sumsisse initium præfigurat. Qvarta Johannem Evangelistam, qvi assumtis pennis Aqvilæ & ad altiora festinans de Verbo Dei disputat. (p.)

(k.) *Ad initialia verba singulorum Evangelistarum provocat Victorinus, Hieronymus Glossa ad Ezechielem, Mantuanus, Anonynus Poëta ap. Henr. Rantzovium, Selneccerus, atq; adeò hanc causam plerią; de hâc sententiâ expressè allegant. §. nostro 41. lit. a. X. citandi.*

(l.) *Proœmio in Matthæum. Tom. IX. Oper. f. 5.*

(m.) *Matthæi 1, v. 1.*

(n.) *Marci 1, v. 1.*

(o.) *Lucæ 1, v. 5. Fuit in diebus Herodis Regis Judæ Sacerdos qvidam nomine Zacharias.*

(p.) *Johannis 1, v. 1. In Principio erat Verbum &c.*

§. 29. Aliam rationem nescio è qvibus suppeditat Ambrosius, (q.) ductam à qvatuor Christi prædicatis, qvem ut Hominem natum Matthæus, ut Leonem fortem Marcus, ut Vitulum immolatum Lucas, ut Aqvilam resurgentem Johannes præter cæteros descripserit.

(q.) *Cum qvo conferendus Petrus Rigensis apud Barth. fol. 554. Adversar.*

§. 30. Verba B. Patris præfatione in Lucam (r) cum prius hunc Evangelistam cæteris contulisset (s.) hæc sunt: *Plerią; hinc putant ipsum Dominum nostrum in qvatuor Evangelij Libris qvatuor formis Animalium figurari, qvod idem Homo, idem Leo, idem Vitulus, idem Aqvila. Homo qvia natus ex Mariâ est: Leo qvia fortior: (t.) Vitulus qvia Hostia: Aqvila qvia resurrectio est. Atqvi ita in Libris singulis forma Animaliũ figuratur, ut uniũs cujusq; Libri series propositorum videatur Animaliũ, aut naturæ, aut virtuti, aut gratiæ, aut miraculo convenire. Qvæ licet omnia in omnibus sint, tamen plenitudo qvædam in singulis virtutum est singularum. (u.) Ortum Hominis Alius (vv.) descripsit uberiũs: Mores qvoq; Hominis (x.) præceptis uberioribus erudivit: Alius y.) à potentiæ cœpit expressione divinæ qvod ex Rege Rex, Fortis è Forti, z.) Verus ex Vero, vividâ morte virtute contemserit. Tertius aa.) Sacrificiũ Sacerdotale præmisit & ipsam vituli immolationem stilo qvodam pleniore diffudit. a.b.) Qvartus a.c.) copiosius cæteris divina miracula resurrectionis expressit: a.d.)*

r) Tomo

(r.) Tomo V. Oper. f.6. Confer. & Tom. I. fol. 101.
(s.) qvâ de re supra §.14. lit. R.
(t.) Cur non Fortis, ut infra Fortis è Forti, nisi placet τὸ fortior retinere, propter locum Marci 1, v.7. de qvo posteà. lit. z.
(u.) hoc vult dicere: Licet omnes Evangelistæ Nativitatem, Fortitudinem, Passionem, Resurrectionem Christi prædicent, peculiariter tamen de Nativitate concionari præ cæteris Matthæum: de Fortitudine Marcum, & sic in reliqvis.
(vv.) Matthæus.
(x.) duas ob causas vult Matthæo hominem tribuere; primò qvia Christi Nativitatem humanam copiosiùs qvàm cæteri descripsit: deinde qvia præstitit in Sapientiâ morali seu humanâ. De hoc posteriore locus ejus clarus paulò antè præcesserat: Et bene accidit, ut qvoniam Evangelii Librum secundum Matthæum diximus esse moralem (textus Ambrosii descriptus supra, §.14. lit.R.) opinio hujuscemodi non prætermitteretur. Mores n. propriè dicuntur humani.
(y.) Marcus.
(z.) Hoc est illud, qvod paulò ante lit. t. diximus, videri nempe respexisse eum ad Marci 1, v.7. Venit fortior me post me.
aa.) Lucas.
a.b.) Hoc vult dicere, Vitulum Lucæ deberi propter duas caussas, primò qvia inchoaverit Evangelium suum à narratione de Zachariâ Sacerdote: Deinde qvia passionem seu Immolationem Christi copiosius narraverit qvàm cæteri Evangelistæ. Hoc insinuant etiam verba apud Ambrosium antecedentia hæc: Et bene convenit vitulo hic Evangelij Liber, qvia à Sacerdotibus inchoavit, & consummavit in Vitulo, qvi omnium peccata suscipiens pro totius mundi vitâ est immolatus. Sacerdotalis enim & ille Vitulus.
(a.c.) Johannes.
a.d.) Hoc vult: Johanni meritò assignari aqvilam, qvia copiosius scripsit de Resurrectione Christi, qvâ seipsum ut Aqvilam demonstravit Christus.

§. 31. Cujuscunq; verò est hunc in modum effigiata Expositio, minùs ea se probat, ut applausum mereatur & consensum.

§. 32. Nam primò confundit animalium allegorias duas, illam videlicet de Evangelistis cum alterâ de Christo (a.e.) hoc est il-

lam

lam de qvatuor subjectis unius prædicati cum alterâ de qvatuor prædicatis unius Subjecti (a.f.) minus nervosè permutat.

(a.e.) Solent enim illa qvatuor animalia etiam de qvatuor Christi prædicatis exponi, idq; bifariam, (1.) vel enim qvatuor illa prædicata faciunt α. Nativitatem, β. Passionem. γ. Resurrectionem, δ. Ascensionem. Rotundè Glossa ordinaria ad Ezechielis cap. 1. Ipse qvoq; Christus --- natus est ut Homo, passus ut Vitulus, resurrexit ut Leo, adscendit ut Aqvila. Et in Cap. 5. Apocalyp. Christus qvi natus est, passus, resurgens, adscendens. Sic & Arndius part. 2. Wahren Christenth. *c. 6. p. 108. qvi vocat* die vier Hohen Ampts-Wercke Christi. *(2.) Vel pro Resurrectione substituunt prædicationem, & secundo loco ponunt passioni præmittentes, credo, ut ordo animalium Ezechielis observetur, qvem illa prior expositio, qvæ aliàs in se spectata elegantior apparet circa vitulum & Leonem invertit. Atq; sic Leo ad prædicationem Christi, qvæ & ipsa Passionem ejus Vitulo designatam antecessit, refertur, perinde ut allegoria de Evangelistis Leonem qværit in prædicatione Johannis. Pro hâc interpretatione facit Locus Glossæ in Apocalyps. citatus §. 27. lit. i. Videtur & alludere qvodammodo Victorinus p. 45 in Apoc. satis alioqvin obscurus, dum sic scribit: Dominus noster Jesus Christus feret (fortè legendum ferebat) easdem imagines in tempore adventus sui ad nos. Et eum prædicatus est tanqvam Leo & Catulus Leonis: propter salutem hominis Homo factus est ad mortem devincendum & universos liberandos, qvod seipsum obtulit Hostiam Patri pro nobis, Vitulus dictus est. Et qvoniam mortem devicit & adscendit in Cœlos (putes eum hîc aqvilam facere Symbolum non modò adscendentis Christi, sed etiam cum Ambrosio resurgentis, ob verba: Mortem devicit) & protegens suam plebem Aqvila volans nominatus est.*

(a.f.) Hoc enim pacto duæ illæ allegoriæ videntur distingvi inter se posse.

Una de Evangelistis:	*HOMO*	*Matthæus,*	
	LEO,	*Marcus,*	
	BOS,	*Lucas,*	*est Evangelista.*
	AQVILA.	*Johannes.*	

Habes hîc qvatuor subjecta unius prædicati.

Altera

Altera de Christo:

CHRISTUS	*natus est ut* HOMO *passus ut* BOS, *resurrexit ut* LEO, *ascendit ut* AQVILA.

Habes qvatuor prædicata unius subjecti.

§. 33. Deinde non satis scitum est, qvod miscet ejusdem allegoriæ de Evangelistis probandæ, modos duos, unum petitum ab eo, qvod Evangelistarum qvisq; poneret ab initio Evangelii, alterum ab eo, qvod uberius cæteris perseqveretur. (a.g.)

(a.g.) Marco enim Leo datur ab exordio Evangelij, Johanni Aqvila ob copiosam de Resurrectione narrationem. Matthæo & Lucæ sua insignia ob utrumq; causam.

§. 34. Qvod si tamen retinenda utcunq; sit & amplectenda hæc expositio, universa illa ad universos accommodari melius Evangelistas, qvam singula ad singulos videntur. (a.h.)

(a.h.) Et huc tendit forsan Busch *p. 89.* Hertz- und Haus-Kyrch/ *his verbis:* Des Menschen Angesicht ist die Geburth: Des Kalbes das Leyden Christi: --- Der Löwe die Aufferstehung: Der Adler die Himmelfarth; Wie denn denen Vier Evangelisten diese zugefüget werden / daß Sie davon schreiben.

§. 35. Hactenus de Comparatione Hieronymi. Progrediendum ad Augustinum, qvi illud saltim ex præcedenti mutat, qvod Matthæo Leonem, Marco Hominem assignat.

§. 36. Qvanqvam autem pro ea minor stat copia suffragiorum, (a.i.) non tamen omninò eam rejiciendam esse autumo, qvippe & illa suis innixa Rationibus.

(a.i.) Ante Augustinum fuisse aliqvos, qvi sic exponerent, hæc verba Augustini declarant: Tom. IV. fol. 374. D. Unde mihi videntur, qvi ex Apocalypsi illa qvatuor animalia ad intelligendos qvatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliqvid attendisse illi, qvi Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum in Lucâ, Aqvilam in Johanne intellexerunt. Qvi autem hi fuerint, qværendum esset? Post Augustinum Beda qvoq; in hanc sententiam citatur à Paréo p. 193. ad Apocalyps.

§. 37. Primam in hanc descendendi sententiam, qvi hanc viam institerunt, causam, videntur habuisse ordinem animalium in Apocalypsi.

lypsi. Nec enim frustrà esse dixerim, qvod Augustinus hic Apocalypseos mentionem injicit, non item Ezechielis. (a.k.) Atqve ut Hieronymi expositio Ezechielem præ oculis habuit, (a.l.) ita hæc Apocalypsin. Qvo factum, ut primum animal Apocalypticum Leonem primo Evangelistarum dederit Matthæo.

(a.k.) Locum vide §. præcedent. lit. a. i.

(a.l.) Qva de re supra §. 23.

§. 38. Nec planè sedulum attentumq; rei Ponderatorem hinc abducit, qvod in Marco mox & Lucâ hunc ordinem violatum esse, qvispiam objiciat. Videtur enim conjecturis qvibusdam (a.m.) ostendi posse de Marco & Luca dubitasse Veteres, utrum crederent scripsisse priorem?

(a.m.) Harum Conjecturarum (1.) peti potest ab eo, qvod in Catalogis Evangelistarum Lucas interdum anteponitur Marco, salvo cæteris suo loco. Vide Supra §. 14. lit. P. (2.) inde, qvod ipsa qvoq; prior Expositio, qvatenus pro illustratione assumit illa qvatuor Christi opera, de qvibus supra §. 32. lit. a. e. concinnior evadit, si Christum patientem resurgenti, hoc est, Bovem Leoni, Lucam Marco, anteponas, ut probabile sit, ita fecisse Veteres qvosdam. Nam minus speciosa est & duriuscula illa Leonis ad prædicationem Relatio. (3.) inde, qvia ipse Augustinus in Expositione suâ, tametsi ab initio anteposuerat Marcum Lucæ, postponit tamen postea, uti mox ex §. seqvent. manifestum fiet.

§. 39. Telam semel hunc in modum inchoatam, ingeniosè continuavit Augustinus, & in hunc sensum fidem fecit allegoriæ. Intententio Matthæi fuit, Christum ut Regem, Lucæ ut Sacerdotem nobis commendare. (a.n.) Rectè ergò Leonem assignabimus Matthæo (a.o.) Vitulum Lucæ, (a.p.) Marco autem hominem, qvia neq; stirpem Regiam, neq; Sacerdotalem vel cognationem vel consecrationem narrare voluit, (a.q.) sed tantum ab Homine Christo exorsus est, (a. r.) Tandem Johanni Aqvilam, qvia ut reliqvi Christum ut Hominem, (a.s.) ita hic magis ut Deum (a.t.) prædicavit.

(a.n.) de utroq; junctim Augustinus ita Tom. IV. fol. 373. C. Cum ergò Matthæus circa Regis, Lucas circa Sacerdotis personam gereret intentionem. Ad Matthæum qvod attinet, voluisse eum Regiam inprimis dignitatem Christi celebrare, his argumentis docet Augustinus

 stinus

ſtinus: (1.) qvia in Genealogiâ Chriſti per Salomonem Regem deſcendat cæteros etiam Reges ex ordine proſecutus fol. 373. A. (2.) qvia narrat Magos veniſſe ab Oriente, ad Chriſtum Regem qværendum, fol. 375. A. (3.) qvia refert, qvemadmodum ipſe Rex Herodes Regem Chriſtum formidaverit Infantem. Similiter qvod Lucæ major cura fuerit Sacerdotii Chriſti, ſic ſuadet: (1.) qvia in Genealogiâ Chriſti adſcenderit ad Davidem, per eos, qvi Reges non fuerint, usq; ad Nathanem, qvi & ipſe Rex non fuit fol. 373. A. (2.) qvia ſolus Lucas manifeſtè commemoret Mariam cognatam fuiſſe Eliſabeth, qvæ uxor erat Zachariæ, Sacerdotis, ibid. C. (3.) qvod à Sacerdote Zachariâ incipiat ſermo narrantis f. 375. A. (4.) qvod Sacramenta primi Sacerdotij in Infante Chriſto impleta revelet. ib.

(a.o.) Qvoniam videtur Leo Rex eſſe qvodammodo beſtiarum propter potentiam & terribilem fortitudinem. Auguſtin. Tom. IX. Oper. f. 279. A. Unde & in Apocalypſi cum ipsâ tribu Regiâ Leo commemoratus eſt, ubi dictum: vicit Leo de tribu Juda Tom. IV. f. 374. 375.

(a.p.) Qvia magna victima Vitulus erat, in ſacrificiis Sacerdotum. Auguſtin. Tom. IX. f. 279. A.

(a.q.) Ipſius Auguſtini hæc verba ſunt Tom. IV. f. 375. A.

(a.r.) Iterum Auguſtini verba Tomo IX. f. 279. b.

(a.ſ.) Secundum Hominem qvippe Chriſtus & Rex & Sacerdos effectus eſt Auguſtinus f. 373. C. Tom. IV. De Marco jam dictum.

(a.t) Egregios hac de re locos invenies apud Auguſtinum. (1.) Unus eſt Tom. IV. Oper. f. 375. b. Libr. I. de conſenſ. Evangel. Hæc autem Animalia tria, inqvit, ſive Leo, ſive Homo ſive Vitulus in terrâ gradiuntur: unde iſti tres Evangeliſtæ in his maximè occupati ſunt: qvæ Chriſtus in carne operatus, & qvæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At verò Johannes ſuper nubila infirmitatis humanæ, velut aqvila volat, & Lucem incommutabilis Veritatis acutiſſimis atq; firmiſſimis oculis cordis intuetur. Similem locum vide apud Radulffum Ardentem. I. p. 78. (2.) Alter ibidem præcedente Cap. 5. f. 374. B. C. (3.) Tertius Tractat. 36. in Johannem. Tom. IX. Oper. fol. 275. D. (4.) Qvartus Ibid. f. 279. B. Et Chryſoſtomus Procem. in Johannem dicit, Johannem per Evangelium docuiſſe Angelos ſecreta verbi incarnati, qvæ prius

igno-

ignorabant, adeoq; fuisse eum Doctorem Cherubinorum & Seraphinorum. Adde hic Encomium Pauli Aringhi Tom.II.l.5 c.3. p.451. Romæ subterraneæ sic scribentis: Aqvila dignissimum illum ac Lynceum in Arcanarum rerum ac Mysteriorum sublimitate Speculatorem Johannem Evangelistam sublimi velocium pennarum Symbolo portendit. Qvem & Dionysius Areopagita in Epist. ad Johann. citante Cornel. à Lap. Comment. in qvat. Evangel. Proœm. p. 10. vocat Solem Evangelij, cujusq; Evangelium nuncupat memoriam & renovationem Theologiæ illius, qvam ipse recumbens in pectore Christi ex eo hausit, & Evangelio qvasi Solis tradio posteris intuendam reliqvit.

§. 40. Restat jam Tertia adhuc Expositio, Irenæi, qvem tamen Gallasius (a.u.) non animadvertit diversam fovere ab Hieronymo. Ille verò eandem cum Augustino respexit Apocalypsin & Argumenta à Principiis Evangeliorum deduxit, ut ex loco supra adducto (a.vv.) patere cuivis potest, adeò ut planè videatur supervacaneum prolixioribus verborum ambagibus illi inhærere.

(a.u.) *Not. ad eum Locum. f.386.*

(a.vv.) *Supra §. 20. lit. X.*

§. 41. Hoc scire præstat; Hieronymi Expositionem maximum ubiq; adeptam esse applausum (a.x.) ut communis meritò appellari posset. Etiam Pictores vulgò cum sua cuivis Evangelistarum appingunt Insignia, eum unicè seqvuntur & observant.

(a.x.) *Favent illi Athanasius apud Pelarg Qq. in Matth. Ambros. Tom.V. f. 6. qvi tamen Interpretatione adjuvandus est, qvam dedimus §. 30. Not. Victorinus Comment. in Apocalyps. p. 44. & 45. Glossa ordinaria ad cap. 1. Ezechiel. Sedulius l. 1. Oper. Paschal. p. 535. sub f. edit. Fabric. Anonymus Poeta vetus ap. Fabric. p. 50. ad Sedul. & cæteros Poet. Christian. Alius Poeta Anonymus apud Rantzovium. Calend. p. 139. Baptista Mantuanus ap. Eund. Ibid. Selnecc. part. 1. Postill. p. 244. Petrus Rigensis ap. Barth. fol. 554. Adversar. Cornel. à Lap. l. c. Eilhard. Lubin. in Monotessar. Disp. 1. §. 2. & alij.*

§. 42. Accedit, qvod Veneti qvoq;, cum Patronum & Deum qvasi Tutelarem (si stylo Romano loqvendum) sibi elegissent Marcum, augustissimumq; in honorem ejus summum & devotissimam Venerationem ædificassent templum (a.y.) simul cum Ipso & Leonem adoptarunt.

(a.y.) *Sabellicus in Histor. Venetâ Dec. 3. L. 6. Est Divi Marci ædes, qvam ab initio auream, qvia penè tota, purissimo fulget auro, appellavimus, intus extraq; circa imum marmoreis tabulis compacta. Adde Petrum Bembum. Hist. Venet. L. 8. p. 208. Postremum est, ut Deos omnes orem, teq; imprimis Marce Urbis hujus Parens & Conservator, Cujus templum inauratum atq; augustum ante Curiam Majores nostri antiqvitus ædificaverunt &c.*

§. 43. Præter hæc ridicula res contigit, Incidens aliqvis in Locum Augustini, & Irenæum ignorans, ad qvem tamen ille locus Augustini respicit, novam Glossam peperit.

§. 44. Verba Augustini, ut qvidem vulgò edita habentur, hæc sunt: (a.z.) *Unde mihi videntur, qvi ex Apocalypsi illa qvatuor animalia ad intelligendos qvatuor Evangelistas interpretati sunt, probabiliq; aliqvid attendisse illi, qvi Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum in Luca, Aqvilam in Johanne intellexerunt,* (b.a.) *qvàm illi, qvi Hominem Matthæo, Aqvilam Marco, Bovem Lucæ, Leonē Johanni tribuerunt.* (b.b.) *De principiis enim Librorum qvandam Conjecturam capere voluerunt, non de totâ intentione Evangelistarū, qvæ magis fuerat perscrutanda.*

(a.z.) *Libr. 1. de Cons. Evangel. C. 6. Tom. IV. f. 374. Horum verborum priorem partem dedimus supra §. 36. a. i.*

(b.a.) *Hæc illa est etiam Augustino ipsi probata & paulò ante à nobis excussa expositio.*

(b.b.) *Hæc illa tertia est Irenæi.*

§. 45. Ut res magis sit perspicua, coronidis loco etiam huc transscribemus Fabulam cum ἐπιμυθίῳ, h. e. carmen cum Interpretatione & insertis nostris observatiunculis, qvæ tùm alia moneant, tùm qvibus in locis Scriptorculus iste Augustini vel Ambrosii inventis abusus sit. Unde simul hoc patebit, utcunq; antiqvus ille sit Nugator (b.c.) post Augustinum tamen & Ambrosium certò scripsisse, qvanqvàm hoc alioqvin & stylus prodit.

(b.c.) *Existit Epigramma illud, ut profitetur Barthius L. XI. Adv. c. 23. fol. 553. in veteribus Membranis Juvenci; ipse vocat antiqvissima carmina, veterem & cariosum annotatorem, f. 554.*

§. 46. Ipsum Epigramma de qvatuor Evangelistis hoc est:

MATTHÆUS instituit virtutum (b.d.) *tramite Mores*
Et benè vivendi justè dedit ordine leges (b.e.)

MAR-

MARCUS amat Terras inter Cœlumq; volare,
Et vehemens Aqvila stricto secat omnia lapsu.
LUCAS uberius describit prælia CHRISTI
Jure Sacer Vitulus qvi mœnia fatur avita. [b f.]
JOHANNES fremit ore Leo similis rugienti
Intonat (b.g.) æternæ pandens mysteria vitæ.

(b.d.) Rectius consuletur metro, si scribamus: Virtutum instituit Matthæus, ut emendavit Anonymus Fabricij, qvem mox dabimus.

(b.e.) Traductum hoc ex Ambrosio, cujus locum dedimus supra §. 14. lit. R.

(b.f.) Anonymus Fabricij: qvia juxta mœnia fertur. Neutrum capio: fortasse uterq; jacet in mendo. Placet tamen & arridet qvàm maxime Celeberrimi Philologi, Reinesii, ad excellentissimum Dn. Præsidem professa sententia: dum ita corrigit: qvia munia fatur Abia. Putat autem respici ad Luc. 1, v. 5. qvo Zachariam è classe, præfecturâ, partitione seu statione (una ex illis viginti qvatuor) Abia fuisse legimus. Illud autem fatur ad Lucam referendum.

(b.g.) Anonymus Fabricij: insonat.

§. 47. Interpretatio Sermone proso concepta hæc est: *Matthæus, qvia plus moralis fuit (b.h.) qvàm cæteri Evangelistæ, idcircò per animal rationale, i. e. hominem designatur. Marcus dicitur volare inter Cœlum & terram, qvia enim Nativitatem Verbi, in qvâ terram nostra Carnis Deitas assumsit, sicut Matthæus & Lucas non descripsit, qvasi terram non tetigit. Et qvia de Divinitate pauca dixit, nec cœlum sicut Johannes penetravit. (b.i.) Aqvila verò propter velocitatem narrationis comparatur, qvia breviloqvus est in omnibus. (b.k.) Lucas figuram vituli tenet, qvi in bello mactari solet, qvia latius describit, qvæ in Templo & circa Templum gessit Dominus, & plura loqvitur de Passione Domini. (b.l.) Johannes per Leonem exprimitur, qvod qvasi rugitum Leonis (b.m.) edidit dicens: In Principio erat Verbum.*

(b.h.) Hoc ex Ambrosio esse jam dictum est.

(b.i.) Sunt hæc satis violenta. Alludunt autem partim ad id, in qvo Augustinus qvoq; Marcum Matthæo & Lucæ genealogiæ Christi descriptoribus dissimilem facit, ut notavimus §. 39. partim ad id, qvod passim reperitur, Johannem Christi Divinitatem maximè celebrasse,

lebrasse. Sed secundum hæc, si Marcus Aqvila est, nec tamen Cœlum Johannes tetigit, Johanni debebat aliqvod assignari animal, ipsius Aqvilæ volatum transscendens. Tale vero nusqviam comparet.

(b.k.) Augustino hoc debetur, qvi observavit, Marcum esse breviatorem Matthæi. Verba ejus hæc sunt, L.I. de consens. Evangel. c. 2. Tom. IV. f. 372 D. Marcus eum (Matthæum) subsecutus tanqvam pedisseqvus & Breviator ejus videtur. Et hinc etiam intelligas cur strictum lapsum Poeta hîc dederit Marco in versibus, ob brevitatem puta.

(b.l.) Haustum ex Ambrosio, cujus verba descripsimus supra.

(b.m.) Transtulit rugitum Johannis Baptistæ, de qvo supra §. 28. ex Hieronymo ad rugitum Johannis Evangelistæ.

§. 48. Hæc expositio, uti tota penè coacta est, ita non invenit Amasios. Repertus est postea potius, qvi versus illos diffingeret in sensum Comparationis Hieronymi. Sed cum mutatis tantùm Johannis & Marci personis reliqva retenta cuperet verba, factum est, ut sensus ipse alicubi non parùm vacillet. Servavit hos versus Georgius Fabricius (b.n.) eosq; in antiqvo Codice reperisse se testatur.

(b.n.) pag. 50. ad Poet. Christian.

§. 49. Versus hi sunt cum superioribus in plerisq; concinentes:

Virtutum instituit MATTHÆUS tramite mores,
Et bene vivendi justo dedit ordine Leges.
Infremit ore pio MARCUS similisq; Leoni (b.o.)
Insonat æternæ pandens mysteria Vitæ.
LUCAS uberius describit prælia CHRISTI
Jure Sacer Vitulus, qvia juxta mœnia fertur.
Terras inter amat cœlumq; volare (b.p.) JOHANNES,
Et vehemens aqvila (b.q.) stricto secat omnia lapsu.

(b.o.) Immo Leoni similis faciendus erat non Marcus, sed Johannes Baptista apud Marcum.

(b.p.) Immo cœlum ipsum volatu transscendere: Vide su. §. 39. lit. a.t. Nam cur Barthianus Anonymus Marcum doceret inter cœlum & terram volare, aliam id causam habuit, qvæ hic apud Johannem minimè valet. Sed Parodus iste non videtur percepisse sensum horum verborum. Credidit fortè lapsu qvodam memoriæ factum

fuisse,

fuisse, ut Marco Aqvila daretur, Johanni Lee, cætera satis esse facta. Lapsum illum memoria corrigere voluit; cætera, qvia non habuit suspecta omisit.

(b.q.) Barthianus: Aqvila. Stricto autem esse brevi monitum fuit. Atqvi ne hoc qvidem qvadrat in Johannem, qvi non fuit ut Marcus breviator alterius Evangelistæ.

§. 50. Sed manum de Tabulâ! (b.r.) Sufficere hæc poterunt cupido Lectori qvoad Historicam de Insignibus hisce sacris cognitionem: Curatam qvi cupit decisionem, aut Locorum Interpretationem Theologorum (b.s.) summè Reverenda adire potest Pulpita. Nos ILLI, cujus Gratiâ freti incepimus, finem Dissertationi imponentes dicimus & tribuimus meritò

GLORIAM SALVATORI.

(b.r.) Erasm. in adag.
(b.s.) Confer Theologos supra §. 3. lit. F. citatos.

COROLLARIA.

Angelis nuptiæ non conveniunt.
Mundus non habet animam seu formam substantialem.
Qvæstionem omnium primam fecit serpens.
Leges bonæ Christianam Libertatem non tollunt.
Omnibus rebus destinatus est

F I N I S.

Est

Est HOMO Matthæi, Marci LEO, BOS nota Lucæ,
Johannes AQVILAM cum ratione refert.
At tua, non parvo qvi colligis ista labore,
Qvæ nota? Mellilega est, Sprotta (ita reor) Apis.

L. FRID. RAPPOLT, P. P.
& h. t. Acad. RECTOR.

IN Certamen Apollinis profani
Cur sacras Animalium qvadrigas
Admittis GOTHOFREDE? Non vereris
Ne qvo pulvere sacra polluantur?
Non, inqvis, volo taminare sancta;
Qværo sanctificare taminata.

PRÆSES.

